



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

VI. Heroum filij noxæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

factum in aluo matris, & quasi digitis Dei fingi, & ali lacte matris transfuso per Cotylidonas, ac edi in lucem patefactis iuncturis ossis sacri, quæ nulla humana ope aperiri aut claudi possunt: Hæc ortus nostri miracula sæpe cogitanda sunt, & simul consideranda pericula & ærumna matrum, quæ sæpe pariendi labore oppresse moriuntur, ut Rachel in partu extincta est. Hoc exemplo singuli commonefacti cogitemus, quanto periculo ipsi in lucem editi sumus, & agnoscamus Deum generationi adesse, & uitam ab eo dari & ali, sicut scriptum est, in ipso uiuimus, mouemur & sumus. Mariti etiam & matres familias his exemplis se consolentur in partibus infelicibus.

## VI.

## HEROVM FL.

## lij noxæ.

Historia de incesto concubitu Ruben cum no- uerca, Primum illustre exemplum est Tragicorum lapsum & calamitatum, quæ etiam Sanctorum hominum familijs sæpè accidunt.

Secundo consolatur pios parentes, qui propter improbitatem & turpitudinem & calamitates liberorum in acerbissimo dolore, quo nullus post sensum iræ Dei maior est, uersantur.

Tertio monet Heroum filios plerūq; noxas esse,  
f 4 &

et à paterna auitaq; uirtute degenerare, cuius  
sex causæ recitari possunt.

Prima in Psalmo 127. indicatur, Ecce donum Dei  
sunt filij, Fructus uentris sunt premium. Sicut Sa-  
te in manu robusti, sic filij heroici. Beatus qui im-  
pleuit pharetram suam ex istis. Hæc sententia ofen-  
dit liberos uirtute et industria prestantes, solius  
Dei dona esse, et nequaquam carnali generatione  
propagari.

Secunda causa est, Quia Parentum peccata De-  
us infelicitate liberorum punit, ac imprimis Heroi-  
parentes summis illis malis superbie et fiducia, quæ  
propria sapientia et uirtute magis quam Deo tri-  
bitur, Item securitati carnali φιλαυτία et similibus  
obnoxij sunt. Quæ Deus etiam in hac uita puni-  
re solet.

III. Quia in effecta hac Mundi senectæ tota uir-  
tura est languidior, ut Horatius inquit,  
Ætas parentum peior auis  
Tulit nos nequiores mox daturos  
Progeniem uiciosiorem.

IIII. Liberi Heroum autoritate et opibus pa-  
rentum, ad suam libidinem et petulantiam exple-  
dam abutuntur, Nam omnes in rebus secundis fieri  
petulantiores, ut Themistoclis filius dicebat à se uenit  
totam Græciam regi. Quidquid enim ego uolo, in-  
quit hoc uult mea mater. Quidquid mater uult hoc  
facit

facit pater, Quidquid pater uult, id placet toti Græcie, Ergo.

V. Quia parentes Heroici publicorum negotiorum mole onerati, non tribuunt iustam diligentiam & assiduitatem institutioni liberorum.

VI. Ex astris & Ὠέστωρ dissimilitudine sumitur.

## VII.

### DE RESURRECTIONE & Vita aeterna.

Isaac mortuus est, & adpositus seu congregatus ad populum suum.

Eadem phrasi supra cap. 25. de Abraham usus est, qua monet pios ex hac uita discedentes non dissipari & euanescere in tenues auras ut pecudes intereunt, sed colligi ad populum suum, id est, in cœtum beatæ Ecclesiæ, ut Esai. 56. inquit, Viri sancti colliguntur.

Considerent autem Studiosi, ea, quæ deinceps usq; ad cap. 40. recitabuntur, gesta esse uiuo Isaac, qui omnium calamitatum Iacob, & uenditi etiam Ioseph in Ægyptum, & incesti Iudæ cum Thamar spectator fuit, Vixit enim 180. annos, & mortuus est uno anno ante liberationem Ioseph ex carcere, ut ex Chronologia quam infra cap. 38. inseram, perspicue apparebit.

f s CAPVT